



1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.0  
7.  
8.0  
9.





DISSERTATIO MORALIS

DE

EO QUOD

NATURALITER  
JUSTUM EST

*circa*  
EMPTIONEM ET VENDI-  
TIONEM,

*Quam*

FOUVANTE DEO,

PRÆSIDE

JOHANNE EBERHARDO  
ROESLERO,

Philos. Pract. Prof. Publico, Ducalis Stipendii  
Ephoro, & Ord. Phil. h. t. DECANO,

*Publice defendet*

TOBIAS CUNRADUS RENZ, Kircho-Tecc,

*Ad diem April, MDCCXXI.*

TUBINGÆ,

Literis HIOBI FRANCKII.

1729  
3.

1727, 8.

8

O. M. II  
o imperat  
itur de ut  
nique eti  
ntio quoc  
ratione ob  
em in om  
intelligit  
  
ditorum  
slator de  
demum  
erus resp  
er eos An  
ua nova  
nec prim  
ncessum  
etiamfi  
hic alle  
nvenien  
as præva  
& fieri  
luntaris  
rogatur  
Cessat q  
a & adæq  
elapso te  
cessat, im  
quoad





DISSERTATIO MORALIS

DE

EO QUOD

NATURAE ALITER

IUSTUM EST

EMPTIONEM ET VENDI  
TIONEM

JOHANNES DEO

PRÆSIDE

JOHANNI ERNHARDO

ROSSLER

Philol. Prof. Pöf. Publico - Ducis Saxe  
Episcopi de Old. Vall. in DECANO

MORIAS GUNRADES RENS, Kirchh. Töcc

M. D. C. C. X. X. I.

ALLEN HIOH FRANKEL







I. N. J.

**U**m præstantissimo Domino Respondenti placuisset, priusquam ad juris Civilis studium progredieretur, suorum in jure naturæ, quod illi tanquam fundamentum merito substernitur, profectuum specimen publicum edere, eoque palam facere, quod ad sacra illa tractanda haud illotis manibus accedere velit: petiit à me, ut de emtione & venditione pagellas quasdam conscriberem, quas pro cathedra adversus commilitonum objectiones defenderet. Nolui refragari honestissimo huic desiderio, sed laudabiles conatus omnibus potius modis adjuvandos esse duxi atque promovendos. Igitur quantum per continuas occupationes, quibus vix unquam magis districtus fui, licuit, de argumento isto, non sane ex legibus civilibus, quarum tractatio mei fori non est, sed ex Philosophiæ practicæ jurisque naturalis principiis commentari qua dam institui. Etli enim & ipsa emtio venditio instituta ab hominibus est, & humanum institutum, pretium puta, supponit: sciendum tamen, quod Grøtius bene monet, jus natura-



le non tantum de iis agere, quæ circa voluntatem humanam existunt, sed de multis etiam, quæ voluntatis humanæ actum consequuntur. Introducto nimirum dominio necessitas commerciorum orta est, quæ initio sola permutatione constituisse verosimile est: donec relicta simpliciori vita, crescentibus hominum desideriis, variisque inventis artificiis atque opificiis, commoditari, voluptati, luxui atque ostentationi inservientibus, pretium emens fuit introducendum, quo interveniente res sibi superfluas quis commode ad alios transferre, necessarias verò, quibus egeret, pro istis comparare posset. Hinc frequentari Emptio venditio cœpta.

## §. I.

**E**st autem Emptio Venditio contractus, quo rei alicujus dominium, aut eidem equipollens jus, pro pecunia acquiritur. Contractum appellamus, illorum securi disciplinam, quibus pacta circa res & actiones in commercium venientes hoc nomine insignire placuit. Quod si cui usus hujus vocis ad eam materiam restrictus minus arrideat, pactumque aut conventionem appellare malit, ei litem haud quaquam movebimus: modo illud observetur duas ad hoc negotium requiri personas mutuo consensu jus invicem transferentes, quod quidem huic cum omnibus aliis pactioibus commune est, nisi quod in hac altera persona venditor altera emptor sit. Ex quo illud consequitur, nec vendere nec emere quenquam valide posse, nisi qui usu rationis gaudeat. Excluduntur igitur infantes, amentes, furiosi, atque enormiter ebrii, etsi dominium etiam his ipso jure naturæ possit competere, neque cum Grotio ad fictitium quoddam jus gentium hic sit confugiendum.

## §. II.

Neque vero defectus usus rationis modo sed & error dolus & coactio consensui obstat communiter dicuntur. Sed error circa



circa causam, quæ ad vendendum vel emendum impulit, sive  
 ex tertii alicujus dolo sive aliunde ortus negotium non reddit ir-  
 ritum. At si quis ab ipso venditore ad emendum vel ab emtore  
 ad vendendum dolose fuerit inductus, licet decepto *resilire à con-*  
*tractu.* Esi enim utrobique consensus in rem æque per erro-  
 rem est elicitus: ibi tamen errorem erranti, hic in errorem in-  
 ducenti imputari æquum est. Quod si verò error vel dolo circa  
 rem ipsam ejusque essentiam moraliter consideratam versetur, ob  
 deficientem consensum nihil actum censetur. Coactio, quæ ne-  
 tu mali inferendi voluntatem impellit, non omnem quidem con-  
 sensum tollit, libertatem tamen restringit atque coarctat. Dispi-  
 cendum igitur, num jus aliquod habeat cogens libertatem re-  
 stringendi metumque inferendi, an nullum. Si hoc; nulla ra-  
 tio est, cur quis actu suo legi naturæ contrario ex consensu alte-  
 rius minus pleno & per injuriam extorto suffragante lege natu-  
 ræ jus debeat acquirere. Si juste metus fuerit illatus, pleni con-  
 sensus defectum supplet obligatio, quæ adesse intelligitur, ubi al-  
 teri potestas cogendi competit: & sibi imputet, qui metu se  
 urgeri voluit, ad illud faciendum, quod intellecta alterius volun-  
 tate ultro facere debebat. In libertate quidem naturali qui  
 vivunt, illis jus non est, ut ad emendum vel vendendum se mu-  
 tuo cogant. Unde perperam Franciscus Victoria ad defenden-  
 dam justitiam belli Hispanici adversus Indos simpliciter fas fuisse  
 se dicit Hispanis jure gentium importandi merces in provincias  
 Indorum. Necessitate tamen urgente fieri potest, ut gens gen-  
 tem ad vendenda sibi vitæ necessaria, quibus altera abundat, per  
 vim possit adigere. An tempore belli per vim impediri possint  
 commercia pacatorum populorum cum hostibus nostris, alia  
 quaestio est in utramque partem disputari solita: quam hic per-  
 tractare nimis prolixum foret. Interim satis convenire juri Na-  
 turæ videntur quæ Grotius tradit de Jure belli & pacis lib. III.  
 cap. I. §. V. Ubi tamen quæ de pœna Gentis in gentem addit,  
 nostra non facimus. Commentario locum istum illustravit Zent-  
 gravius in Dissertatione de Jure commerciorum tertii inter belli-  
 gerantes. Multo minus privatus privatum vel ejusdem vel al-  
 terius civitatis invitum ad vendendum vel emendum cogere  
 potest:



potest: Quandoquidem dominium liberam facultatem disponendi de re sua pro libitu involvit, neque par pari invito aliquid obtrudendi potestatem habet. Subditus vero ab eo, qui imperium in ipsum habet, ad emendum & vendendum invito cogi potest, si publica utilitas, quæ suprema lex est, id suadeat. Fluit hoc ex natura domini vulgaris, quod summi Imperantis dominio eminenti subordinatur; ita ut in collisione illud huic semper cedere debeat.

## §. III.

Consistit Emptio Venditio in mutua ad tradendam mercem & solvendum pretium obligatione. Venditor vel ipsam mercem vel jus in mercem in emptorem: hic jus exigendi à se pretium in venditorem transfert. Id enim quod pro pretio seu pecunia venditur mercem appellari moris est, quæ non modo res corporalis sed & incorporalis esse potest. Uti enim agri, vineæ, domus, ita & jura, ex. gr. servitutes, imo spes quoque, ut infra videbimus, veniunt. Pretium, quod eminentens appellamus, hodie ubique fere gentium in nummis ex metallo nobiliori confectis seu pecunia consistit, sine qua E. V. intelligi posse negant. Etsi autem ubi res corporalis venditur emptoris hæc intentio est, ut ejus dominium acquirat: attamen ubi venditor non est dominus rei, non potest etiam illius dominium, quod ipse non habet, in emptorem transferre. Transfert igitur tum jus dominio æquipollens, quale possessoribus bonæ fidei competit.

## §. IV.

Vendi possunt res omnes, quæ in commercio sunt, & quarum alienandarum potestatem habemus. Unde quid de hominum venditione habendum sit, facile patet. Scilicet cum homo non sit res in commercium veniens, nulloque pretio æstimari neque cum pecunia comparari creatura tam nobilis possit, sub venditionem cadere nequit. Viguit tamen & olim plerasque inter gentes hominum commercium, quando bello capti in servitutum redacti ac divenditi fuerunt. Neque mos iste nostræ ætate inter Christianos



stianos penitus exolevit, quod vel Anglorum & Hispanorum ante aliquot annos renovata conventio de mancipiorum ex barbaris gentibus commercio ostendit. Et quanquam liberi capitis ideo nullum esse pretium dicatur, quod contradictionem implicet, esse liberum & in commercio esse Puf. de J. N. & G. libr. V. C. I. §. V. apud Hebraeos tamen liber homo se ipsum & apud alios quoque gentes Parentes liberos suos vendere poterant Lev. XXV. v. 39. Exod. XXI. v. 7. vid. Excellentissimus Dn. Dact de Venditione liberorum. Obarati quoque in servitum redigi & vendi solebant, conf. Grotius ad 2. Reg. cap. IV. v. 1. & Math. cap. XVIII. v. 25. Sane plerorumque veterum opinio, qua sibi persuadebant servum non personarum sed rerum numero habendum, eademque ratione in heri dominio esse ac pecora, legi naturali, qua omnes alios homines tanquam aequae homines tractari vult, e diametro repugnat. Unde hoc quidem sensu & servorum commercium & sui liberorumque venditio merito pro illicitis habentur. Enimvero cum jus regendi hominem emolumentumque ex operis ejus percipiendi aliquid pretio aestimabile sit, atque adeo in commercium venire possit: illud vendi posse non dubitamus. Atque hoc modo homo liber non quidem se suumque corpus, quippe cuius ipse dominium non habet, sed tamen libertatem suam, hoc est, jus in proprias actiones vendere, operasque perpetuas pro pretio alteri addicere potest. Eodem sensu liberorum quoque venditio locum habet, ubi ad extremam inopiam redacti parentes alere illos nulla ratione possunt. Hic enim praestat filium in servitum tradi, quam fame extingui. Observavit hoc discrimen Grotius quando Hottomanno regna patrimonialia, quae alienari possint, dari ex ea ratione, quod liberi homines non sint in commercio, neganti, respondit, proprie, cum populus alienatur, non ipsos homines alienari sed jus perpetuum illos regendi; qua populus sunt de J. B. & P. libr. I. cap. III. §. XII.

§ V.

Pretii determinatio naturaliter pendet à contrahentium conventionione. Et sicut venditori rem suam quanti vult aestimare licet, modo inhumanitas erga indigentes absit, ita in emtoris arbitrio



bitrio est longe minorem summam offerre, donec conveniant: si convenire nequeant, res manet inempta. Pretium enim rebus ipsis non inest, sed ab arbitrio hominum pendet, & ex comparatione rei cum re, vel nummi cum re exurgit: illud vulgare, hoc eminentius dicitur. In civitatibus autem, ut inhumanitati & avaritia obviam eatur, rebus maximè necessariis pretium à Magistratu solet constitui, quod legitimum dicitur atque in puncto consistit, quo, cum regulariter in gratiam emtorum soleat determinari plus exigendo venditor recedere nequit, etsi minus possit accipere. Ubi legibus definitum pretium non est, ad usum fori respicitur, & singuli jubentur se accommodare judicio plurimum, illamque æstimationem sequi, quam sui similes in negotiis similibus adhibere solent. At cum usus fori pro circumstantiarum diversitate varius, hominumque judicia varia esse soleant, habet hoc pretium suam latitudinem, atque hinc conventionem partium accedere necesse est. Quam tamen ita restringunt leges civiles, ut si nimium ab ista norma satis utique laxa & ambigua recedatur, rescindenda sit emptio. Quo tamen remedio litibus potius januam aperiri, quam saluti civium consuli, inter recentiores Jureconsultos sunt, qui existimant,

§. VI.

Perfectus est hic Contractus ratione conventionis, ubi in mercem & pretium simpliciter est consensus: ratione obligationis verò, ubi vel conventio fuit pura, vel conditio, à qua antea suspensa fuerat, existit. Ad executionem actualis traditio mercis & solutio pretii pertinet. Quæ si statim contractu perfecto utraque fiat, soluta est obligatio: nisi quod naturaliter quoque venditor emtori ad evictionem tenetur. Interdum merx quidem statim traditur, de pretio autem fides habetur: interdum de pretio quidem convenitur, vel illud etiam aut integrum aut ex parte statim solvitur, & mercis traditio differtur. Si ante traditionem merx casu fortuito pereat, cujus periculo pereat, quæri solet. Communior & in foris recepta sententia est emtoris periculo esse: nisi forte aliter sit conventum, vel venditoris dolus aut culpa præcesserit, vel morâ venditoris intervenerit, vel ex vitio jam ante venditio-



ditionem contracto res perierit. An juris Civilis Philosophia hic cohaereat, cum & venditorem esse dominum & ad emtorem tamen periculum pertinere constituat, nostrum non est dispicere. Negat Gribnerus Jurispr. Nati libr. IV. Cap. III. §. V. Illi quidem satis sibi constant, qui ad translationem dominii negant naturaliter necessariam esse traditionem, solumque consensu aliis quoque signis sufficienter declarato transferri posse dominium contendunt, quando rei venditæ periculum ad emtorem pertinere ex naturali illa ratione deducunt, quod qualibet res pereat suo domino. vid. Web. annot. ad Puf. de Off. H. & C. libr. I. Cap. XV. §. IX.. Quod si ergo id actum fuerit, ne statim dominium transeat, quod fieri posse infra ex Grotio observabimus, ex eadem ratione res tantisper erit periculo venditoris. Illud tamen hic notandum, ubi non species sed genus venditur, ut ICTorum stylo utamur, dominium non transire, nisi assignatio fiat per mensuram, numerum, aut pondus: cum citra ejusmodi mensurationem, qua res tales quasi specificantur, & à reliquo cervo rerum homogenearum separantur, incertum sit, quid ad emtorem, quid ad venditorem pertineat. Igitur antequam ea facta fuerit ad venditorem periculum pertinebit, quia quantitas nunquam interitura debetur. Eandem ob rationem periculum pretii non venditor sed emtor sustinet.

§. VII.

Si res duobus sit vendita, ad utrum ea pertineat, ad priorem, an ad posteriorem emtorem si quaratur, videtur prior præferendus, cum in eum jus jam sit translatum. Quod quis autem non habet amplius, id in alterum transferre nequit. Jure tamen civili posterior præferitur, si huic tradita res sit. Neque illi sua non constat ratio. Nam cum secundum illius scita non nisi per traditionem transeat dominium: merito præferri videtur, qui jus in re illi qui jus ad rem habet. Grotii decisio hæc est: *ex duabus venditionibus eam valituram, qua in se continuit presentem dominii translationem, sive per traditionem sive aliter. Per hanc enim facultatem moralem in rem abiisse à venditore addit, quod non fiat per solam promissionem.* Proficitur Pufendor-

B

dor-



dorsius nescire se, an Grotius satis sibi constet. Egsidem pra  
 missio, inquit, de vendendo venditio non est. Ipse tamen asse  
 ruerat dominii translationem fieri posse ipso contractus momen  
 to. Ergo tali venditione celebrata nihil facultatis moralis reman  
 net penes venditorem, quam quod tantummodo tendit ad curan  
 dum ut res in manus emtoris perveniat. Et consequenter, si  
 quos praeterea actus venditor circa eandem rem exercuerit, nil  
 lo jure vitentur, adeoque fraudi esse ei non poterunt, qui prius  
 jus in ea re questum habuit. Quibus positis valde dubium est,  
 an favor possessionis contra jus traditae priori emtori semper nocere  
 queat. Pro Grotio tamen dici potest, non id cum asserere,  
 quasi in omni venditione ipso contractus momento dominium  
 transferatur, quanquam id simplicissimum esse dicat. Nam &  
 fatetur, id agi posse, ne statim dominium transeat, & tunc obliga  
 ri venditorem ad dandum dominium, atque interim rem commu  
 do & periculo venditoris esse. Priore itaque casu, quo nempe  
 ipso consensu dominium jam translatum est in primum emtorem  
 secundum Grotium posterior emtor, etiamsi tradita huic res sit, non  
 erit preferendus: quippe cum dominio semel translato nihil ampli  
 us venditori juris remaneat, quod in alium emtorem possit  
 transferre. Neque possessio nuda sine jure concessa priori emto  
 ri ceu jam domino suum jus auferre potest. Altero autem casu  
 ubi scilicet in priori venditione dominium sibi ad tempus reservavit  
 venditor, ejusque translationem tantum promissit, in posteriorem  
 vero actu contulit vel per traditionem, vel per verba in ipso con  
 tractu translationem dominii indicantia, hic preferendus erit, cum  
 ille facultatem modo dominium accipiendi, hic dominium rei ad se  
 habeat. Non enim dicit simpliciter, illam venditionem valitua  
 ram, quae in se continuit praesentem dominii translationem per  
 traditionem, sed disjunctive loquitur: *sive per traditionem sive  
 aliter*. Unde non negat, si id actum sit, ne statim dominium  
 transeat, per traditionem subsequenter dominium postea trans  
 ferri: sed traditionem solum esse modum, quo transeat domi  
 nium, id vero est, quod inficiatur. Quando autem, per solam pro  
 missionem facultatem moralem in rem non abire a venditore, non  
 intelligere videtur promissionem de vendendo, sed promissionem



in venditione datam de dominio post aliquot tempus transferendo. Quæ quidem ita ex ipsis Grotii verbis rite explicata non male coherent, & cum simplicitate juris naturalis optime conveniunt.

§. VIII.

Generale vendentium officium est, ut justo tempore rem tradant, ementium, ut pretium conventum modo convento persolvant: utrisque commune, ut ab omni fraude, qua alter læderetur absteineant. Læditur autem emtor, si venditor mercem tradere nolit. Neque enim alternativa obligatio ad tradendam rem, vel præstandum id, quod interest, quod nonnullis videtur, indoli hujus contractus saltem secundum legem naturæ considerati convenit: quippe quo præcise & rem sibi stipulatur emtor, & ad eam tradendam se obligat venditor. Quare cum in omnibus pactis fides data sit servanda, aliud pro alio invito alteri paciscenti substitui & solvi non potest. Vid. Ill. Thomasius *de pretio affectionis in res fungibiles non cadente* cap. II. §. 8. Læditur præterea emtor, si venditor merces falsas corruptasque pro veris, bonis, & integris det, si falsa mensura aut pondere utatur, si qualitates rei æstimabiles affingat, vitia & qualitates pretium diminuentes reticeat. Recensetur de obligatione vitia indicandi a Cicerone Diogenis Babylonici & Antipatri Stoicæ Sectæ Philosophorum disputatio de officiis L. III. C. 13. Quæ in controversia circa vitia, quæ rei ipsi inhærent, emtori indicanda non possumus non probare sententiam Antipatri: cum absque eo justa æstimatio ab emtore qualitatum rei ignaro fieri nequeat. Sed quod atinet ad circumstantias extra rem positas, non videtur injustitiæ posse accusari Diogenis Babylonii sententia, qui mercatorem Alexandrinum frumentum in Rhodiorum inopia & annonæ caritate Rhodum advehentem negat obligatum esse, ut alias quoque naves frumento onustas in itinere esse profiteatur. Nemo enim ordinariè ac stricto jure obligatus est, ut cum suo incommodo alterius promoveat commodum, sed tantum, ne suum commodum promoveat alteri detrimentum inferendo. Detrimentum vero aut datum non infert, qui rem, quanti eo tempore communiter æstimatur



matur in aliquo loco vendit. Nam alioquin & reprehendus foret, qui annonæ aut aliarum rerum caritatem prævidens vili pretio abundantem earum copiam in futuram necessitatem comparat, aut prævisa vilitate superflua caro vendit; quod tamen nemo facile dixerit. Unde & si quis prioris generis vitia celaverit, emtor vel a contractu recedere, vel a pretio aliquid detrahere, vel ad restitutionem ejus, quod plus justo solvit, venditorem adigere potest, quod circa posterioris generis circumstantias secus se habet. Venditor læditur, si nummos adulterinos vel circumcisos emtor solvat. An & is lædat, qui nummos, quorum valorem proxime diminutum iri novit, pro eo, quod in præsens valent, expendit, quaestio est superiori illi, quam de mercatore Alexandrino attulimus, affinis, atque ex iisdem decidenda fundamentis, justitiæ scilicet expletrici id non repugnat. Conf. Becmannus lin. D. M. C. XVI. §. 5. Fieri tamen potest, ut caritatis leges hic violentur, si quis exsolvat pauperi aut saltem mediocri fortunæ homini, quem probabiliter novit nummos asservaturum.

## §. IX.

Solent & interdum emtioni venditioni pacta adjici, quæ pro contrahentium arbitrio infinite varia esse possunt. Præcipua sunt: Addictio in diem, qua res ita venditur, ut liceat venditori rem venditam revocare, & alii intra certum diem meliorem conditionem offerenti addicere: Lex commissoria, qua convenitur, ut, si pretium intra certum tempus non solvatur, res sit inempta: Pactum de retro vendendo, quo id agitur, ut liceat venditori rem venditam pretio oblato vel quocumque vel intra certum tempus redimere: vel si emtor ultro sit venditurus, prior venditor præ ceteris ad emendum admittatur, quod jus proximiferos appellari solet: quanquam & in gratiam emtoris conveniri potest, ut, si is rem offerat, venditor teneatur pretium restituere: Exceptio certæ partiæ aut certi usus ex prædiis venditis; quo pertinent omnes servitutes, quas venditores rebus a se venditis imponunt. In quibus omnibus nullum aliud lex naturæ præcipit officium quam ut fides data sancte servetur & conditiones, de quibus mutuo

con-



consensu conventum est, accurate impleantur. Potest & per leges civiles contractus hic varie determinari : quemadmodum apud Hebræos lex divina disposuit, ut agri ad certum tempus venderentur, quo elapso illi ad venditorem redirent Lev C. XXV. v. 14. & seqq.

§. X.

Peculiariora potius emtionis venditionis genera, quam pacta illi adjecta sunt Emtio per aversionem, Auctio, & Emtio spei. Illa est, qua plures res ejusdem vel disparis pretii non sigillatim sed conjunctim & veluti confuse aestimatae emuntur : ista, qua res illi addicitur, qui ex pluribus licitantibus plurimum obtulerit : hæc, qua non certa res sed probabilis tantum spes emitur : Illa etiam Emtio ad corpus dicitur emtionique ad mensuram opponitur : quanquam mensura interdum & in illa exprimitur, non tam taxationis quam demonstrationis gratia. Ubi si mensuram nominatam res excedere deprehendatur non potest plus pretii exigere venditor : at si multum infra fuerit ad supplendum quod deest, vel admittendam pretii diminutionem obligari verius videtur : cum suam sibi negligentiam imputare, dolus autem vel culpa rem suam exaggeranti non emtori nocere debeat. Auctio iniqua non est, etiamsi longe majoris aut minoris aliquid vendatur in licitantium certamine, quam alias vendi solet : quia volentibus non fit injuria, & unius rei vilitas alterius majori pretio compensatur. Emtio spei aleam continet, adeoque etiam si spes, quam quis emit, fefellerit, emtor non deceptus videtur, sicuti nec venditor queri potest de injuria, si eventus spem emtoris multum superaverit. Nec obstat illa in contractibus tantopere commendata æqualitas. Ea enim ex mutuo pleneque libero consensu non ex eventu aestimanda est. Unde patet nimis scrupulose æqualitatem illam urgere Grotium, quando eos, qui in bello naves suo sumtu instruunt ac sustentant, ea conditione ut loco mercedis capta ab hostibus sua faciant, ad reddendum civitati quod superest obligatos putat, si spes hæc multo plus valeat quam sumtus & pericula, de J. B. & P. Lib. III. c. 18.

§. 3.

B 3

§. XI.




§. XI.

De Monopoliis anceps disceptatio est. Alii ea ut rem injquam & libertati commerciorum contrariam simpliciter rejiciunt: alii ea minimè illicita nec juri naturæ contraria asserunt: modo certos intra limites contineantur, ne in aliorum detrimentum cedant. Nobis distinctè pronuntiandum atque civium in Republica. Quod ad illa attinet, nulli quidem genti licet per vim aut dolum alias gentes à commerciis arcere: id enim æqualitati & libertati status naturalis directè repugnat. Attamen cum in eo statu cuius licitum sit extra casum indigentiaæ alterius, cui humanitas subvenire debet, sua vel vendere vel non vendere: potest utique gens aliqua alteri genti pacto se obstringere, quod suas merces vel certum earum genus illi soli velit vendere: modo ea gens, quæ emit, parata sit aliis vendere æquo pretio. Grotius de Jure B. & P. L. II. c. 2. §. 24. Abusus ex vitio accessorio proveniens, & iniquitas ex ingenii humani malitia metuenda, quam adversus Grotium urget Zieglerus de J. M. L. 1. c. 38. §. 4. usum juris non tollit. Contradictionis quidem arguitur a Zieglero Grotius, qui l. c. §. 18. fateretur *nec lege lata nec conspiratione impedire licere acquisitionem eorum, sine quibus vita commode duci nequit, propterea quod tale impedimentum naturæ societatis contrarium sit in ejusmodi rebus: cum tamen tale pactum impeditivum respectu ceterarum gentium parum abesse videatur a conspiratione.* Pufendorfus de J. N. & G. L. III. cap. 3. §. 6. excusari posse putat Grotium, si priori ipsius loco intelligamus impedimentum quod cum violentia conjunctum est. Sed de tali violento impedimento Grotium non loqui verba ipsius satis clare ostendunt. Rectius nostro judicio conciliabuntur dicta Grotii, si dixerimus commerciorum libertatem non impediri, si modo merces interveniente illa gente, quæ monopolium sibi stipulata est, alias gentes habere possint, etsi immediate nequeant a primis venditoribus acquirere. Nec obest, quod lucrum aliquod decedat aliis gentibus. Nam etiamsi cui lucrum speratum sed non debitum non obtingat, id detrimenti aut damni vice reputari non debet. At vero merces corrumpere, ut raritate pretium augeat, detestanda



standa malignitas est. In civitatibus imperantes certarum mercium sibi vindicare possunt monopolia: quia facultas ipsis competit libertatem subditorum naturalem per leges restringendi, ubi id reipubl. utilitas jubet aut suadet. Justitia tamen rectoria limites præscribere debet, ne quid commodi privati causa in detrimentum reipubl. aut contra pacta conventa fiat. Subditis verò propria auctoritate monopolia instituere nequaquam licet; quippe quibus nullum jus est vel imperio vel vi cohibendi suos concives, quo minus commercia pro lubitu exerceant: neque ex compacto ut tale quid moliantur, cura salutis reipubl. ad omnes & singulos æque porrigens admittit. Unde & passim legibus civitatibus prohibita esse monopolia privato ausu instituta mirum non est, neque tamen imperantes non possunt justis de causis illa suis subditis recte concedere: modo caveatur, ne pro lubitu mercatores pretia rerum intendant. Justæ autem causæ sunt, si quis primus mercium aliquod genus invenerit, si sumtus in illas advehendas impenderit, si suo periculo ex remotissimis locis advehi curaverit primus, si omnibus permixta libertas nemini quaestiuosa foret, si quarum mercium venditio, nisi a peritis fiat & maxima diligentia adhibeatur, periculosa esse possit. His ergo similibusque de causis monopolia interdum concedere uni alterique ex civibus minime iniquum, imo æquissimum utile & necessarium erit. Quamobrem & Bibliopolis qui librorum auctoribus pro labore pretium solverunt, privilegia ejusmodi nulla aliorum cum injuriâ conceduntur, rectissimeque constitutum est, ut non nisi pharmacopolis medicamenta vendere liceat. Prudentiæ autem rectoriæ est dispicere, num singulis an integris potius societatibus monopolia sint concedenda, ut ita lucrum in plures dividatur civēs, & plurium collatis sumtibus major optimarum mercium copia advehatur: an circa res quasvis etiam ad victum quotidianum vitamque necessarias danda sint ejusmodi privilegia: an perpetua, an ad certum tempus restricta dari magis expediat.



COROL.



COROLLARIA.

Vlli emere, quod carius vendas, non est illicitum. Id enim prohibere nil aliud foret, quam commercii obicem ponere.

II.

Nil venditori debet qui bene emit Sen. VI. de Benef. c. 15. nisi venditio sit gratiosa, qualem contractum si cum Grotio in nostra disciplina mixtum appellemus, nemo nobis, uti speramus, vitio veret.

III.

Laudat venales qui vult extrudere merces. Non improbamus: absit modo mendacium.

IV.


Qui rem alienam sciens emit, sibi imputet, quando & rem domino restituere, & pretio carere cogitur.

V.

Quin & qui inscius rem alienam emit, bonaque si de possedit, restituere rem domino sine repetitione erogati pretii debet. Cur enim suam rem emat dominus?

VI.

Prudens est Catonis præceptum æconomicum, *Emas non quod opus est, sed quod necesse est; nec minus alterum illud ejusdem, Patrem familias vendacem non emacem esse oportere.* Namque ut ait Cicero, *non emacem esse vestigal est.*





ULB Halle  
003 948 390

3



*Sb.*









M. l  
pera  
de u  
ue et  
quo  
ne d  
n on  
llig  
  
rum  
r do  
num  
ref  
s A  
ova  
rin  
am  
nfi  
all  
ier  
eva  
ri  
ris  
ur  
at  
la  
o  
im



Farbkarte #13

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

B.I.G.

Inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Centimetres

1729,8.  
3.  
O MORALIS  
DE  
QUOD  
ALITER  
M EST

ET VENDI  
NEM,

E DEO,

SIDE  
BERHARDO  
LERO,

lico, Ducalis Stipendii  
l. h. t. DECANO,

RENZ, Kircho-Tecc,

MD CC XXI.

FRANCKII.

28. No: 1.

